Quelle: http://manuscripta.at/?ID=30305
Copyright: Heiligenkreuz, Zisterzienserstift

neret. multaque alia que uel ad cantum digna, uel ad docendum utilia conderet dicta.

Dedit deinde operam ut monachorum necteretur societati. monasterium cuius uocabulum est Benchor petiit. in quo presul uirtutum ubertate cluebat. beatus Comogellus egregius inter suos monachorum pater. quique et religionis studio et regularis discipline cultu precipuus habebatur. Ibi solis orationibus uacare cepit et ieiuniis, et iugum Christi, quod ferentibus leue est, super se ferre: semetipsumque sibi abnegando. ac crucem suam tollendo Christum sequi. ut qui aliorum doctor futurus erat, ipse quod doctrina didicerat, in suo corpore mortificationem ferendo. uberius exemplo monstraret. quod aliis implendum fore docuisset. Peractis itaque annorum multorum in monasterio circulis. cepit peregrinationem desiderare: memor illius domini imperii ad Abraham. Exi de terra tua et de cognatione tua. et de domo patris tui. et uade in terram quam monstrauero tibi. Confessus ergo uenerabili patri Comogello cordis ardorem et ignitum igne domini desidium. de quo igne dominus in euangelio loquitur: Ignem ueni mittere in terram quem uolo ut ardeat. ardentem patri patefaciebat affectum. sed non ita in patris repperiebat responso ut sua peticio anhelabat. Erat enim uenerabili Comogello arduum tanti solaminis pati dispendium. tandem tamen aspirare cepit et cordi ante ponere: ut non plus sue necessitati studeret quam et aliorum utilitati oportune parere: nec sine omnipotentis arbitrio fiebat qui tyronem suum ad bella futura erudierat. ut de eius uictoria gloriosos referret triumphos lautumque supellectile de cesorum hostium reportaret phalangis. Uocatoque eo tristem licet sibi. tamen aliis utilem sententiam depromit. se et pacis uinculum, et solaminis supplementum comitesque itineris quos religio claros reddebat largitum.

Collecto sane fratrum cetu omnium orationis suffragium postulat. ut uenturo itineri. solamen largitor pietatis tribuat. Uicesimum ergo etatis annum agens arrepto itinere: cum XII. comitibus Christo duce ad litus maris accedunt. ibi omnipotentis dei clementiam prestolantur. ut si sue uoluntatis inhereat conceptum consilium effectus perficiatur. agnoscuntque secum clementis iudicis uoluntatem adesse. carinamque ingressi dubias per freta ingrediuntur uias. mitique salo prosperantibus zephyrorum flabris. pernici cursu ad Brittannicos perueniunt sinus. Paulisper ibidem morantes uires resumunt. ancipitique animo. anxia cordis consilia trutinant. Placet tandem arua Gallica planta terere: et mores hominum feruenti estu sciscitare. ut si salus ibi serenda sit quantisper commorari. si obduratas caligine arrogantie mentes repperiant. ad uicinas nationes pertransire.

A Brittannicis ergo finibus progressi ad Gallias tendunt. ubi tunc uel ob frequentiam hostium externorum. uel neglegentiam presulum presulum religionis uirtus pene abolita habebatur. fides tantum manebat christiana. Nam penitencie medicamina. et mortificationis amor: uix uel paucis in illis repperiebatur locis. Agebat uenerandus uir: ut ad quecumque loca progrederetur uerbum euangelicum annuntiaret. Erat enim gratum omnibus. ut quod facundie cultus adornabat. elucubrate predicationis doctrina. simul et exempla uirtutum confirmarent. Tanta humilitatis ubertas. ut uersa uice sic de honoribus homines seculi nituntur querere dignitates. ita isti cum sodalibus suis de humilitatis cultu ad altiora niterentur peruenire. memores precepti illius qui se humiliat exaltabitur. et illud Esaye: ad quem respiciam nisi ad humilem et quietum et trementem sermones meos. Tanta pietas. tanta karitas. omnibus ut unum esset uelle. unum nolle. modestia atque sobrietas. mansuetudo et lenitas eque in omnibus redolebat. Execrabatur ab his desidie atque discordie uicium. arrogantie ac elationis supercilium. duris castigationum ictibus feriebatur. ire ac liuoris noxa sagaci intencione pellebatur. tanta pacientie uirtus. karitatis affectus. lenitatis cultus aderat. ut mitem in medio eorum dominum patule non ambigeres habitare.

Si quempiam his labi in uiciis repperissent. quibus humanum genus solet astringi. simul omnis equo iure neglegentem correptionibus cedere studebant.

Communia erant omnia omnibus. Si quispiam proprium aliquid usurpare temptasset. a ceterorum consortio segregatus. penitencie ultione uindicabatur. Nullus proximo contrarietatem rependere. nullus asperum sermonem proferre audebat. ita ut in humana conuersatione angelicam agi uitam cerneres. Tanta in beato Columbano gratia redundabat. ut in quorum cumque domibus quantisper commoraretur omnium animos ad religionis cultum defigeret.

Peruenit ergo fama Columbani Sigiberti regis ad aulam. qui eo tempore duobus regnis Austrasiorum. Burgundionumque inclitus regnabat.